



- 1 Schroerer f. G. Frid. / Diff. de theologia
occulta, Wittenb. 1736.
- 2 ——— / Diff. de A et O Doctrina Christiano-
Evangelica Speculo Wittenb. 1733.
- 3 Schumann f. Christ. Crdm / Diff. de lectis
ternis Romanorum ad illustrandum
Ies. Cum v. 6. Lipsia 1739.
- 4 Schwarz f. Christ. Gott. / Diff. de ritibus
quidam a Manumissione ad S. Baptis-
mum translatis Altorfi 1738.
- 5 Schwartz f. Joh. petri / Diff. sistens explica-
tionem Iesaja II v. 22. Jene 1740.
- 6 Seguite f. Joh. Augustini / Diff. sistens
philippenfer tamquam Luminaria in
Mundo, Lipsia 1728.
- 7 Seligmann f. Gott. Frid. / Diff. de theologia
Aporition, Lipsia 1700.
- 8 Sonne Schmidt f. Joh. Just. / Diff. de Hirci
emissarij ductore, Jene 1719.
- 9 Santay f. Christophori / Diff. de trium-
phantium in Caeser. Ecclesia No. Santay
Altorfi 1699.

10. Sontay, Christoph. (Divaricationes No-
vatorum ob neglectam scripturam para-
morianam, circa triplex Bibliotheca
theologica repositorium admissas, per-
strinxit Altorfi 1705.
11. — diff. de Christo iudice non ante
quam in ipso fine mundi venturo
Altorfi 1706.
12. — hendecar anti-Calvinismorum Damas-
cencianorum, circa locum de persona
Christi annotatorum, Altorfi 1694.
13. — diff. de plerophoria falsi Nominis Altorfi
1707.
14. — diff. qua Candidi Culiculi super de-
cade Capitum adhuc controversorum pro
integritate sententia lati, ventilacioni
exponentur, Altorfi 1711.
15. — tria capitula orthodoxa in quorum
quoddam quærenelliana et Adiphoristica
ventilabuntur Altorfi 1716.
16. — diff. de Mose Evangelista, Altorfi
1713.
17. — quinquaginta Mizades. theolo-
gice anti-Neotericæ Altorfi 1716.
18. — deff. de integritate primi
Homini, Altorfi 1701.
19. — Ergodiveter varij Separatistarum
hypotheticur oppositur, Altorfi 1709
20. — animadversiones Centum miscelle
in fanaticismum descriptæ, Altorfi 1717

21. Montag J. Christoph / Diff. de Novissime,
rum novissime, Altorfi 1697.
22. ——— Diff. de concursu Dei
universali ad pravos hominum actus
Altorfi 1711.
23. ——— Diff. de vera fidei forma Altorfi
1699.
24. ——— Diff. de forma sanctorum verbo-
rum Altorfi 1692.
25. Sperbachij C. G. Diff. philologica qua versio-
nem Syriacam II. Gust. S. Johannis
cum Textu Græco, Altorfi 1735.
26. Sperbachij Car. Gottl. Observatio-
nes philologicæ in nonnulla pen-
tateuchi loca a translatori
Wertheimensi corrupta, Wittenb. 1736
27. Reitzij Georgij Laur. Gottl. Diff. Sæptem
observationes in nonnulla pen-
tateuchi loca contra translatorem
Wertheimensem Wittenb. 1736
28. Stemler J. Joh. Christ. Diff. de
interpretationibus S. Scripturæ
Latæ ppriè sed minus accuratè, Lyp. 1719
29. Stiebritz Joh. Frid. Diff. de prophetâ
miraculose a Leone necatâ, Halle 1733
30. ——— Diff. de platonismo in Corinthia-
nismo redivivo a paulo in Epistola
ad Colossenses profligatâ Halle 1736

P. 6
Q. D. B. V.

PHILIPPENSES
TANQVAM
LUMINARIA IN MVNDO

PHIL. II. 14. 15.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SISTVNT

M. IO. AVGVSTIN. SEGNITZ

SCHENKENB. MISN.

ET

IO. GVIL. SCHMEISSERVS

ALTENBURG.

S. S. THEOL. CVLT. ET PHILOS.

BACCALAVR.

D. V. CALEND. SEPTEMBR. A. C. M DCC XXVIII.

LIPSIÆ

EX OFFICINA TITIANA.

PHILIPPENSES
TANOVAM
LVMINARIA IN MYNDO
PHILIPPO

M. IO. AVGVSTIN. SEGNITZ
IO. EVL. SCHMIDTSSERVS

PHILIPPO



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

- | | |
|---|---|
| §. I. De urbe Philippis, | §. XIII. καὶ ἀκέρατοι |
| §. II. De Epist. Pauli ad Philipp. | §. XIV. Enucleatio vocis εἰλημένης |
| §. III. Transfr. ad orac. nostrum, | §. XV. τέκνα Θεῶ |
| §. IV. πάντα ποιᾶτε | §. XIV. & quidem ἀμώμητα |
| §. V. quid χωρὶς γογγυσμῶν | §. XVII. ἐν μέσῳ |
| §. VI. καὶ διαλογισμῶν, | §. XVIII. γενεᾶς σκοπιᾶς, |
| §. VII. Vfus reg. hermeneut. | §. XIX. καὶ διετραμμένης |
| §. VIII. Occasio & ratio par. eneseos, | §. XX. ἐν οἷς φαίνεσθε |
| §. IX. Argument. palmar. e Con-
textu, | §. XXI. Φασηρες, |
| §. X. de partic. ἴνα | §. XXII. ἐν τῷ κόσμῳ, |
| §. XI. γένεθε | §. XXIII. partic. ὡς, |
| §. XII. ἀμεμπτος | §. XXIV. Comparatio ipsa & ap-
plicatio. |

§. I.

PHILIPPI, urbs Macedonia celeberrima, in ea parte regionis, qua Macedonia adjecta nonnullis dicitur, quia veteri quondam Macedonia conjuncta fuit. CHRISTOPH. CELLARIUS ita: Macedonia, adjectam hunc tractum inter Strymonem & Nestum, nominamus, quia quondam fuit Thracia, quam Strymon a Macedonia determinabat. Rex Philippus autem, cum suam, Macedonia regno contribuit, in quo & censa fuit postmodum. Aristoteles, seu quisquis auctor de Mirandis p. 718. *περὶ Φιλίππου Μακεδονίας*; & Act. XVI, 12. eadem urbs, PHILIPPI, dicitur *πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις*. Notanter μερίδος, i. e. partis illius trans Strymonem adjecta ad veterem Macedonia; non totius, qua tum erat, Prouinciae Romanorum Macedoniae &c. *Notit. Orb. antiqui* P. I. L. II. C. XIII. p. 1056. Nomen sortita est a conditore & amplificatore, Maced. Rege, PHILIPPO, & rebus gestis, & filii magnitudine laudatissimo. CAR. de S. PAVLO testatur, hanc urbem etiam PHILIPPI.

PHILIPPO dictam fuisse, in *Geograph. Sacra* p. 205. AP-
 PIANVS duo alia nomina ejus commemorat: *οἱ δὲ Φιλιπποῖ,*
πόλις ἐστίν, ἢ Δάτος ἀνομάζεται πάσαι, καὶ Κρηνίδες ἐτι πρὸ Θάττε:
κρηναὶ γὰρ εἰσι περὶ τῷ λόφῳ ναμάτων πολλάι. Φιλίππος δὲ ὡς
εὐφυνὲς ἐπὶ θράκας χωρίον ἀρχύρασε τε, καὶ ἀφ' ἑαυτῆ Φιλίππου,
προσεῖπεν. Ἔστι δὲ ἡ πόλις ἐπὶ λόφῳ περὶ κρηνας, τοσαύτη τὸ μέγε-
θος ὅσον ἐστὶ τῆς λόφου τὸ ἕγρος. Ea urbs olim DATVS nomi-
 nata est, & ante etiam CRENIDES quod κρηναί, i. e. fontes,
 crebri circa eum tumulum scaturiant; Hunc locum, ut op-
 portunum bello adversus Thracas gerendo, PHILIPPVS,
 muniit & appellavit, de suo nomine. Sita est urbs in prae-
 rupto tumulo, totam ejus latitudinem occupans., Praeterea,
 quod a septentrione saltus, quod a meridie palus eidem sit con-
 finis; quod versus orientem fauces Sarpæorum & Turpilorum;
 quod ex occidentali latere campi pateant usque ad Strymonem,
 fluvium, fertiles admodum & amœni, idem affirmat, *Lib. IV.*
de Bellis Civil. Magnas opes e fodinis auri argentique cives hu-
 jus urbis possederunt. Erant enim in eo tractu fodinae auri,
 sed tenues & non bene exploratae: Eas PHILIPPVS magnis
 operibus ita instruxit, ut annua ei redirent amplius mille ta-
 lenta: nummum aureum PHILIPPI nomine cudi instituit,
 quod nummi aurei genus PHILIPPICVM a PHILIPPO
 dicebant. Hæc & alia sunt, quæ ex DIODOR. *Lib. XVI.* citat
 PHILIPPVS CLUVERIVS, *Introduc. in Geograph. vet. &*
novam; Edit. JO. BUNON. p. 318. Quæ omnia declarant, mul-
 tis nominibus jam olim claram fuisse urbem, quæ quidem divi-
 na PAVLLI ad PHILIPPENSES Epistola auget atque con-
 firmat. Neque vero hodie omni suo nitore destituta est, nam
 oppidum ad hanc nostram ætatem esse non contemnendum, re-
 fert MELISSANTES in *Geograph. Special.* P. II. C. VII. de
 Græcia §. VI. Interim dolemus, eandem luce Evangelii revelati
 privatam his temporibus imperio Turcarum parere civitatem.

§. II.

Ad hanc urbem visione divina, eaque prorsus singulari, excitatus proficiscebatur PAVLLVS prædicandi Euangelii causa, Act. XVI, 9. sqq. Cujus virtute LYDIA ad Christum conversa est cum carceris custode, qui *gentium Doctorem & socium Silam*, jubente magistratu, in vincula publica conjecerat, ibid. v. 27. sq. Hic locus est, ubi *Apostolus* noster, et qui cum ipso erant, magna affecti sunt contumelia, ibid. v. 22-24. coll. 1 Theff. II, 2. Sed tamen ibi tandem Ecclesia collecta ex gentilibus, quod constat præter alia ex nominibus, quæ Cap. IV. leguntur: & ex Iudæis, docente enim LVCA Act. XVI. 13. sq. habebant Synagogam extra civitatem ad fluvium. Nec prætereundum illud miraculum, quo mediante post preces ardentissimas e vinculis dimittebantur testes veritatis laudati, quo facto præfectus caprivorum Christo nomen dabit, Act. XVI. 25-34. Bis ibi fuit PAVLLVS, primo loco plantavit, Act. XVI, 9. deinde vero irrigavit & munivit hortum Dei hortulanus spiritualis, Act. XX. 6. EPAPHRODITO a Philippenfibus ad PAVLLVM cum donis misso, *occafio* hujus scribendæ Epistolæ nascebatur, Phil. IV. 18. Factum hoc esse circa Annum C. LXII. IO. PEARSONIVS, A. LXIV. IAC. VSSERIVS, A. LVI. LVD. CAPELLVS, contendunt. *Roma*, cruce & sanguine martyrum celebris, est *locus* ex quo missus hic libellus, ibi enim tunc PAVLLVS, DOMITIO NERONE imperante, in vinculis tenebatur. Cap. IV. fin. coll. I. 7. *Scribendi ratio* uti per integram hanc Epistolam blanda & comis est: ita paræneses dogmatibus fidei primariis coniunctæ ac distinctæ magnam secum vehunt suavitatem. Hæc enim requirebantur ad *finem* a Spiritu S. & Paulo intentum, quippe qui non erat alius, quam *confirmatio Philippenfium* in veritate agnita, cum incremento fidei ac non fucata pietatis, ad obtinendam salutem æternam. Cap. I. 9. 10. II. IV. 1. Et quoniam falsi nunquam defuerunt Doctores,

ctores, qui cœtum orthodoxum infestare doctrinisque fallacibus corrumpere auderent; *Apostolus* contra suo non defuit officio, id potius Cap. III. agit strenue, ut adversus Pseudo-Apostolorum insidias vel præsentis, vel futuras muniat Philippenses suos dilectissimos. Illos autem fuisse ex Judæis, valde probabile est, quoniam gloriabantur se esse circumcisos, Cap. III, 3. Conf. IO. BRAVNII *Selecta Sacra*, L. I. C. VII. p. 80. sq.

§. III.

Quemadmodum consensu Interpretum exercitatissimorum præter *Exordium & Conclusionem Partes* Epistolæ nostræ *Due* sunt, scilicet I. *Affectuosa*, Cap. I, 3. sqq. ad finem usque; quippe qua affectus intimi testificatione affectum movere & augere studet, & II. *Parænetica*, Cap. II. usque ad Cap. IV, 20. incluf. Conf. CALOV. *Bibl. Illustr. N. T.* Ita nostrum, quod illustrare constituimus, pensum pertinet ad *Partem* Epistolæ *paræneticam*, illam quidem, quæ Cap. II. continetur. Cujus commata 14. & 15. in *græco Textu* ita habent:

v. 14. Πάντα ποιῆτε χάρις γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν.

v. 15. Ἵνα γένηθε ἀμεμπτοὶ καὶ ἀνέγκοι, τέκνα θεῶ ἀμάμητα ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης· ἐν οἷς φασήθε ὡς Φωστῆρες ἐν κόσμῳ.

Versio lat. SEB. SCHMIDII:

14. Omnia facite sine murmurationibus & disputationibus.
15. Ut sitis irreprehensibiles & sinceri, filii Dei (nempe) irreprehensibiles in medio generationis prave & distortæ, in quibus lucetis, tanquam luminaria in mundo.

Si contextum consulamus, videntur rixæ ac dissensiones ex vanæ gloriæ aucupio prodeuntes Ecclesiam tunc turbasse, hinc in eo est PAVLLVS, ut ista zizania evellat, servetque triticum a suffocatione. En causam gravem, cur tanta gravitate Ep. II. hortetur ad unanimitatem ac humilitatem. Jubet eos τὸ αὐτὸ φρονεῖν,

ἐν τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχειν, καὶ εἶναι συμφύχες, τὸ ἐν φρονεῖντας; μηδὲν κατὰ ἐρίθειαν, ἢ κενοδοξίαν, v. 2. 3. Subjungebatur argumentum movens ab humilitate & obedientia CHRISTI, filii Dei, exemplari, quam intueri atque imitari æquum, utile ac justum. Deinde vero ad obedientiam & curam salutis cum timore ac tremore operandæ eosdem exhortatus erat, cum deum in Textus nostri verba erumperet, quibus *Dehortatio* pariter & *adhortatio* cum rationibus satis pręgnantibus continetur, quo tandem luceant *Philippenses instar luminarium in mundo*.

§. IV.

Divinis igitur auspiciis nunc singula, quę diximus, Tractatione Philologica pro virium tenuitate explicabuntur. Et primo quidem loco sese nobis offert *Apostoli* Dehortatio: πάντα ποιῆτε χάρις γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν. Directa est tota Epistola ad πάντας τὸς ἁγίους ἐν χριστῷ Ἰησοῦ, τὸς ὄντας ἐν Φιλίπποις, σὺν Ἐπισκόποις καὶ διακόνοις, Cap. I, 1. Ad quos igitur tota Epistola, ad eosdem etiam hæc verba spectant: πάντα ποιῆτε. Otium a gentilibus etiam turpe vitium, genere humano indignum haberi, constat inter omnes: multo minus tale quid decet hominem Christianum. Otium non est vita Christi amicorum, sed continuum negotium, laboremus! Idem namque Deus omnipotens, qui solem, qui lunam, qui sidera ad motum perpetuum fecit & coordinavit; idem ille creavit nos ad bona opera in Christo Jesu, ad quę nos *Ipse* preparavit, ut in illis ambulemus. Eph. II, 10. Datur τὸ ἔργον τῆς πίστεως, καὶ ὁ κόπος τῆς ἀγάπης 1. Theff. I, 3. ποιῆν, facere, varias admittit significationes. *Porro* ἐν gręcis esse τὸ fingere Poëtarum, IVL. POLLVX in *Onomast. Gręc.* annotavit. Pręterea est commorari, tempus exigere, Act. XV, 33. Non solum de actionibus Dei, sed etiam hominum operationibus dicitur. Idem est ac creare, quamobrem

obrem LXX. vocem ארז reddunt per ποιῶν Gen. I, 1. & in N. T. Act. XVII, 24. eodem sensu occurrit. Ποιῶν est constituere, id quod contra hostes Divinitatis summa Christi notandum accurate, isti enim ex hac voce, Act. II, 36. probare conantur, Iesum in numerum creaturarum esse referendum. Sed falso, nam ibi notat constituere, quo sensu etiam latini dicunt: creare, facere, constituere regem, ducem &c. Plura dabit IO. CASP. SVICERVS, in *Theaur. Eccles.* p. 786 sq. Conf. etiam THEOD. HAKSPAN. *Not. Philol.* P. III. p. 195. & I. Sam. XII, 6. Ebr. III, 2. V, 4. Ποιῶν de fertilitate arborum in S. literis usurpari deprehendo. Sicut igitur omnis arbor bona καρπὸς καλὸς ποιῶν, Matth. VII, 17. ita quilibet Philippensium debet, iussu PAVLLI, facere bona opera, eorum quisque sit πεπληρωμένος καρπῶν δικαιοσύνης τῶν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς δόξαν καὶ ἔπαυον Θεοῦ. Phil. I, 11. Quare nulla interposita mora operari decet, non pauca, non multa, sed omnia, πάντα ποιῶτε. Τὰ πάντα sunt omnia officia ex voluntate Dei Philippensibus obeunda pro suo cuiusque statu & conditione. Τὸ πᾶν Episcoporum & Diaconorum sese extendebat, præter exercitia fidei ac pietatis, ad curam gregis exquisitam, Act. XX, 28. I. Pet. V, 2. 3. Ad gubernationem Ecclesie & exhortationem mutuam, ad amplificationem gloriæ divinæ & regni I. C., ad doctrinam, ad elenchum, ad prædicationem, ad correctionem, & consolationem, I. Tim. V, 16. Rom. XV, 4. ad salutem propriam & communem auditorum promovendam, I. Tim. IV, 16. Τὸ πᾶν auditorum concernebat exercitia fidei & amoris juxta utramque tabulam Decalogi Evangelio collustrati, cum obedientia Legatis Christi præstanda, v. 12. τὰ πάντα ergo recte omnia publica & privata, Christiana & civilia officia dixeris. Omnia hæc & singula sancti PHILIPPENSES debebant facere non coacte, sed sponte sua, uti arbor bona fructus bonos fert absque coactione suo tempore; non languide, sed strenue, idque propter Dominum,

num, simul absque indignationibus & contentionibus: πάντες ποιείτε χάρις γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν.

§. V.

Nomen verbale, ὁ γογγυσμὸς derivatur ἀπὸ τῆ γογγύζειν, quod proprie est murmurare, seu voce mullitante animi sensa declarare. Observatio eorum, qui ἀπὸ τῆ γρύζειν, grunnire, quod alias porcorum est, deducunt, longius mihi petita videtur, quamvis notatio non adeo aliena sit. Plerumque ὁ γογγυσμὸς murmur adversus aliquem ex defectu amoris oriri consuevit. Operarii illi in vinea forte sua haud contenti ἐγόγγυζον κατὰ τῆ ἀκαδεσπότις, Matth. XX, 11. sicque de injuria sibi illata, at ὅ quam inique! conquerebantur. Nec minus Discipuli de verbis *Doctōris* sui celestis ἐγόγγυζον μετ' ἀλλήλων, Jo. VI, 43. Sic sensu malo, nonnunquam autem indifferenter adhibitum legimus, v. c. populus verba admirationis plena de miraculis I. C., voce pressa, invicem miscebat, Jo. VII, 32. Teste IVLIO POLLVCE, γογγύζειν de columbis dicere solent Græci. Ceterum διαγογγύζειν ejusdem est significationis, quod *Pharisæis & Scribis Christo* obmurmurantibus magnopere erat solenne, Luc. XV, 2. Huic verbo γογγύζειν originem debet ὁ γογγυσμὸς, murmur, querela clandestina, quam præ metu celamus. Raro in mediam, plerumque in malam sententiam explicatur, Jo. VII, 12. Γογγυσμὸς πολλὸς περὶ αὐτῆ ἦν ἐν τοῖς Ἰουδαίοις. Οὐδεὶς μὲν τοι παρρησία ἐλάλει περὶ αὐτῆ, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων. Murmuratio multa de eo erat inter populos, nemo enim libere de ipso loquebatur, præ metu Judæorum. Vbi γογγυσμὸς opponitur τῇ παρρησίᾳ, quæ est libera ac intrepida confessio, clandestinæ illi ac meticulosæ opposita. Sensu malo h. l. sumi, est in aprico, ut intelligatur pessimæ matris foetus pessimus. Murmur adversus quemcunque oritur ex animo forte sua non contento, invidio ac rixoso, superboque, dum murmurans opinatur, injuriam sibi ab aliis inferri; plura sibi deberi, quæ ad amplificationem honoris, voluptatis ac divitiarum faciunt; æ-

quo plura sibi injungi, quam quæ jurè a se postulari possint, &c. Hinc illæ lacrymæ & querelæ, quas exspuunt impatientes adversus Deum & homines turpiter. PHILIPPENSES suos ab hoc vitio absterere & abstrahere studet Apostolus divina præcipiens auctoritate: πάντα ποιείτε χάρις γογγυσμῶν. Omnia officia erga Deum fiant sine murmurationibus; Ipse enim non tantum postulat, quod suum est, sed etiam dat τὸ velle & perficere, juxta v. 13. omnia officia erga homines & se ipsos faciant sine murmurationibus, nec murmurent adversus Apostolos & Ministros verbi, qui Dei gerunt vices, nec adversus alios quoscunque, qui sunt fratres, Exod. XVI, 8. Ps. CXXXIII, 1. Neque vero sine fontica causa utitur PAVLLVS num. plurali. Noverat optime, ubi mentes hominum & ora ad indignationem semel applicata fuerunt, non unam, sed bene multas voces impatientiam spirantes subinde evomi. Ideoque de pluribus loquitur ad frequentiam, diversitatem & magnitudinem τῶν γογγυσμῶν indicandam. Vid. GLASS. *Phil. S. L. III. Tr. I. Can. XXIV. p. m. 617.* Habent *codd.* nonnulli: χάρις ὀργῆς, absque ira, ut legitur, 1. Tim. II, 8. Sed Lectio hæc varians tantum abest, ut nostræ adversetur, ut potius eandem explicet & confirmet; Nam γογγυσμοὶ ex ira & indignatione animi plerumque propullulare consueverunt. Illustrat hoc ipsum exemplo suo frater filii deperditi, de ejus liberali receptione ira incensus ille valde conquerebatur, Luc. XV, 28. seqq. Aliter se gerant PHILIPPENSES, vult PAVLLVS, omnia, imprimis opera charitatis fiant ἀνευ γογγυσμῶν, monente etiam Petro, 1. Ep. IV, 9.

§. VI.

PHILIPPENSES quoque jubentur facere πάντα χάρις διαλογισμῶν, Διαλογίζεσθαι apud DEMOSTH. proprie est rationem cum quo inire, subducere accepta et expensa. Cui ex parte respondet phrasîs: ἀποδοῦναι τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας Luc. XVI.

XVI.2. Deinde ad animum transfertur, notatque idem, ac rationes secum subducere, ratiocinari, disputare, disceptare, teste XENOPHONTE. Vtramque significationem ex duplici notatione vocab. τὸ λόγος, quod, præter alia, nunc rationem mentis, nunc computationem numeri, ὀσσεως καὶ λήψεως, Phil. IV, 15. denotat, desumi, quilibet per se cognoscit. Inde descendit ὁ διαλογισμός, Dubitatio, Disceptatio de re incerta, cogitatio qua quis ab alio dissentit. Luc. IX. 46. 47. Estque διαλογισμός vel internus vel externus. Per se nec dubitatio, nec disputatio mala est, fit autem talis per accidens, quatenus indecenter applicatur ratione vel objecti, vel modi, vel finis aliarumque circumstantiarum. Sane CHRISTVS, sapientia Magister, disceptationes saniores cum veritatis hostibus instituere non dubitavit, quod vel ex ipso Matth. XXII. certissime constat. Homines corrupti sapius eo delabuntur, ut partim de lana, quod ajunt, caprina, partim animo iracundo & ad fallendum composito, partim ex vanæ gloriæ cupidine disceptent invicem, sibi que bilem moveant, & quæ sunt alia huius generis prava colloquia, ἐμυλκῆ κακαί, 1 Cor. XV, 33. Inde proveniunt εἰ διαλογισμοὶ τῶν σοφῶν μέγιστοι καὶ ἀνόητοι, 1 Cor. III, 20. Huiusmodi διαλογισμοὶ πονηροὶ sunt contra sincerum amorem, destruunt fidem, corrumpunt bonos mores, procedunt ex impuritate cordis, Matth. XV, 19. Idcirco ab illis alienos jubet esse PHILIPPENSES purificatos PAVLLVS. Disputationes vanæ & iudicia remeraria feruntur de spiritualibus æque ac rebus huius seculi. Pharisei & Scribæ id sibi in negotiis datum existimantes, ut CHRISTVM calumniis proscinderent, ridiculis sapissime disputationibus & argumentis stramineis ex odio & invidia in Ipsum irruerunt, sed invita Minerva. Ipse enim per omniscientiam divinam res διαλογισμοῖς, falsa & iniqua iudicia illorum de doctrina & operibus Iesu cognita publice interdum detegebat: τί διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; Luc. V, 21, VI, 18. Disceptationes ex superbia

ortas deprehendis in ipsis CHRISTI discipulis, de quibus ita Lucas inquit : *εὐχρηστε δὲ διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, τὰ τῆς ἀν' εἰη μείζων ἀντῶν*, Luc. IX. 46. sq. Sapientiores gentilium *αἱ Φρόσκοντες εἶναι σοφοί, ἐμωραίνθησαν καὶ ἐμεταμάθησαν ἐν ταῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν*, ubi vera Dei notitia neglecta, obscurata, pressa, falsa et indigna de Dei essentia atque cultu miscebant iudicia, nugas, inanes cogitationes. Rom. I. 21. 22. PHILIPPENSES cuncta debent facere exclusis illis *διαλογισμοῖς, πάντα ποιεῖτε χωρὶς διαλογισμῶν*. LUTHERVS: Ohne Zweifel, ita enim dubitationis notionem habet hæc vox, adeoque non male : h. f. ne dubitatis de veritate cœlesti, nec dubia conscientia faciatis quidquam; forte etiam: Ohne Zankereyen, hoc modo GALLVS reddidit : *sans disputes*. Interim ex dubitatione disputationes fieri notum est. Eadem ratione collustrandus mihi videtur locus 1 Tim. II. 8. ibi nimirum vult PAVLLVS, viros precari et attollere manus sanctas *χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμῶν*; quod LVTH. vertit : Ohne Zorn und Zweifel; non etiam dici posset: Ohne Zorn und Zank? hæc enim, ut causa & effectus, maiorem inter se habent convenientiam. Quorsum GALLICVS tendit *Interpres*: avec un esprit éloigné de colere & de contention. Quamvis etiam glossa pro altera sententia egregie pronuntiet ita: n'ayant ny colere envers le prochain, ny defiance envers Dieu; habens nec iram erga proximum, nec diffidentiam erga Deum. B. SEBAST. SCHMID. sine ira & dubitatione. Aequus rerum arbiter, pro interna mentis convictione, sive hanc, sive illam expositionem eligeret. B. GODOFR. OLEARIVS, ante & post morrem celeberrimus, *Observat*. in *Matth.* p. m. 143. monet, quod *διαλογισμοί*, vi etymologiæ & usus, deliberationes, diversasque & adversas sibi mutuo cogitationes significare soleant. Quicquid sit, cum a dubitationibus, tum a disceptationibus inordinatis liberi sint in veritate seruanda & officio faciendo PHILIPPENSES. Partic. *χωρὶς*, seorsim, separatim

paratim, a, absque, sine, magnam separationem, divulsionem & sejunctionem denotat. EVSTATHIVS contendit, *χαρις* derivari a *χάρει*, διὰ τὸ χάρεαι ἢ χαρίων ἐκεί τὴ μεταξὺ τῶν χαρίων ἔστων. Iustificatio coram Deo fit *χαρις ἔργων νόμος*, h.e. prorsus exclusis operibus legis Rom. III. 28. *χαρις Χριστοῦ*, separati a Christo, extra communionem & virtutem eius, ἢ δυνάμειδα ποιῆν ἔδεν, nihil quicquam facere possumus in sanctificatione nostra. Io. XV. 4. uti palme a vite abscissus uvae ferre nequit. Sic itaque prorsus abesse & exulare debent murmura ac disceptationes. Et quemadmodum CHRISTVS est *χαρις ἀμαρτίας* Ebr. IV. 15. ita ὁ τῶ Χριστοῦ debent πάντα ποιῆν *χαρις ἡγογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν*.

§. VII.

Vsu jamdudum comprobata est regula hermeneutica: Præcepta Scripturæ Sacræ negativa includere contraria affirmativa, quam hic loci applicandam existimo. Conf. GLASS. *Phil. S. Log. S. Observ.* VIII. p. 211. Murmurationibus ex animi indignatione ortis opponitur compositio voluntatis nostræ ad voluntatem Dei, mansuetudo mentis, amor, lenitas oris, et *παρρησία* in veritate cum aliis communicanda: Disceptationibus & dubitationibus certitudo & obsequium fidei, cum pacis, humilitatis ac humanitatis studio, salva tamen veritate divina, colendo. Ab illis ergo vitiiis homine sub Christo militante indignis abstineant PHILIPPENSES, ita tamen, ut contrariis studeant virtutibus. Absint longissime contentiones, murmura & ira; adsit pax, non auro, non gemmis, non sanguine venalis semper, rara in his terris avis, quam vna cum sanctimonia Deo placent venatorum & aucupum ritu debemus *διώκειν*, persequi omnes ac singuli, iubente *Autore Epist. ad Hebr. Cap. XII. Matth. V. 9.* Quæ si religiose servanda, fiant omnia *χαρις ἡγογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν*, necesse est. Hanc esse mentem Apostoli, jam supra v. 3. demonstravit hortatus: *μὴδὲν κατὰ ἐπιθεσίων, ἢ μενοειδέων, ἀλλὰ*

ἀλλὰ τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἠγάμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν. Ni-
hil juxta contentionem aut vanam gloriam, sed humilitate
alios invicem existimantes superiores vobis ipsis.

§. VIII.

Ceterum haud vna subesse videtur ratio, cur PAVL-
LVS hæc PHILIPPENSIBVS iniungat. Primo enim, hæc
esse omnium genuinorum Christi Discipulorum, nemo est,
qui ignoret. Deinde ex consideratione totius Epistolæ faci-
le apparet, tunc temporis exortas fuisse dissensiones, nunc
inter verbi Praedones, Cap. I, 15. 16. & III, 2. nunc inter audito-
res, qui vitio Doctorum abrepti, proni ad rixas & altercacio-
nes dubitationesque delabuntur, abstrahuntur, id quod vel *Co-
rinthiorum* constat exemplo, hinc *Apostolus* Cap. II, 1. 2. 3. ad
Philipp. his sese opponit. Porro vitia illa, ceu morbi pesti-
feri, secum vehunt damnum irreparabile. Nocent corpori,
nocent fortunis, nocent animæ. Perdunt singulos, corrup-
punt familias, evertunt populos, devastant regiones. Certe
Israëliitarum γογγυσμοὶ multa millia eorum in exitium præcipi-
tarunt, quorum exemplo monitos *Corinthios* imo omnes alios
indè revocat PAVLLVS alibi; μηδὲ, inquit, γογγύετε, κα-
θὼς καὶ τινες αὐτῶν ἐγόγγυσαν, καὶ ἐπώλοντο ὑπὸ τῆ ἰλαθρευσίᾳ, I.
Cor. X, 10. coll. Num. XIV, 2. 26. 36. Nec minus damno-
sunt διαλογισμοὶ, quorum exercitium vir Dei vult interdictum.
Legitimus Disputationum usus haud vulgarem singulis affert
scientiis utilitatem: Abusus vero hoc maiorem creat molesti-
am & grandius incommodum. Mediante illo veritas menda-
ciis ac erroribus opposita magis innotescit, elucescit & confir-
matur; hoc autem obtinente, obscuratur & impeditur. Quam-
obrem uti alio loco *Timotheum* ab altercationibus & inutilibus
dubitandi rationibus abstinere jubet PAVLLVS, 1. Tim. VI,
4. 2. Tim. II, 16. sic etiam PHILIPPENSES omnia faciant
cupit, χάρις διαλογισμῶν. Contra ea Disputationes modeste &
sapienti-

sapienter instituantur pro tuenda & vindicanda veritate, nostraque cum aliorum salute iusto modo conservanda. Vid. IO. FRANC. BVDDI *Instit. Theol. Mor.* P. II. C. III. Sect. II. §. III. p. 466.

§. IX.

Imprimis, quod quidem ex Antecedentibus apparet, sicut in omni vita ratione: ita in his vitandis rebus PHILIPPENSES respicere tenentur Exemplum IESV CHRISTI, cuius mentem, cogitationes, verba, gestus & actiones, & omnia quae ad imitationem nobis sunt proposita, sedulo intueri ac imitari decet. Propterea dictum est supra: *Τέτο γὰρ φρονησάτω ἐν ὑμῖν ὁ καὶ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Hic enim affectus sit in vobis, qui etiam in IESV CHRISTO, Phil. II, 5. Nunquam profecto murmura & contentiones ex ore CHRISTI mansueti vel adversus Deum, vel homines prodierunt, Esaia Propheta Cap. XLII, 2--4. & Cap. LIII. praedicente, & Matthæo Evangelista confirmante Cap. XII, 19. A quo igitur Salvator optimus abstinuit, qui cuncta fecit *χαρὸς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν*; ab eo etiam desistant PHILIPPENSES, exemplum perfectissimum I. C. fideliter secuti.

§. X.

Finite Dehortatione PAVLLVS ita pergit: *ἵνα γένηθε ἀμεμπτοὶ καὶ ἀνέγκιστοι, κ. τ. λ.* Particula *ἵνα*, vt, varias induit notiones. Nunc enim sumitur *τελικῶς*, finaliter, & finem seu intentionem agentis denotat. Et hac est palmaria, simul quoque frequentissima significatio. Quo sensu occurrit Io. III, 15. 16. ubi Deus hoc sine serio misisse perhibetur Filium suum unigenitum, mundoque quasi dono dedisse, *ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλ' ἔχη ζωὴν αἰώνιον*, ut omnis credens in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Phil. I, 9. *ἵνα ἡ ἀγάπη ὑμῶν μᾶλλον καὶ μᾶλλον περισσένη*; en finem, cuius obtinendi medium preces ardentissima erant ab Apostolo fusa ad Deum.

Deum. Nunc ἐκβαρμῶς, eventualiter, adhibetur, v. c. Luc. VIII, 10. ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι &c. hoc est, eo eventu, ut videntes non videant. Intencio enim & finis Dei sanctissimi & veracissimi non est, ut homines auditum verbum non intelligant, non credant, non salventur, potius intendit contrarium; interim ex accidenti auditorum cœcitas & malitia cordis talem eventum producit. Conf. Rom. V, 20. 1. Jo. II, 19. Jo. IX, 2. Nunc εἰδηκῶς, specificative & explanative accipitur, Jo. XV, 8. ἐν τέτρω ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου, ἵνα κερπὸν πολλῶν φέρεται, ubi res ipsa loquitur, Salvatorem innuere, qua ratione Patris gloria per opera justitiæ amplificetur. Eodem sensu v. 12. & Jo. XVI, 7. legitur: συμφέρετε ὑμῶν, ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω, conducit vobis, ut ego abeam. Vid. CHRYSOSTOM. *Homil. XXVII.* in I. Ep. ad Cor. MATH. FLACIUS *Clav. Scr. S. T. I.* p. 1338. IO. CASP. SVICERI *Theaur. Eccles.* p. 1454. Adeoque τὸ ἵνα convenit cum Hebræorum particula למען, quæ similiter jam intentionem, Jos. I, 7. 8. ubi JOSVA non debebat recedere a lege divina, hoc sine למען תשמר לעשות, ut custodiret faciendum, s. ad faciendum: imo propterea etiam, ut ex voto perageret res suas, למען תשמרו בכל אשר תלך v. 7. Jam eventum designat, Exod. XI, 9. למען רבת, inde futurum, ut multiplicentur, Ps. LI, 6. & 7. Num. XXXII, 14. Jer. XXVII, 15. Falsi Doctores prophetant in nomine meo, eo eventu, ut למען דרוו depellam vos & prophetas illos. THEODOR. HACKSPAN. *Not. Philol.* P. III. p. m. 545. GLASS. *Philol. S. L.* III. Tr. VII. Can. XIX. p. m. 1123. DANTZ. *Interpr. hebræo-Chaldæus* §. 165. II, 2. p. 236. Quæritur, quo sensu in commate nostro ἵνα sit accipiendum? Resp. Notiones sibi invicem ita subordinari posse, ut cum intentionem, tum eventum & explanationem inferat. Scilicet omnia facere tenentur PHILIPPENSES *χαρὶς γεγονυσιῶν καὶ διαλογισμῶν*, hoc sine, ut sint filij Dei puri & sancti, & hic sensus videtur esse primarius.

Dein-

Deinde fugam illorum vitiorum sequitur effectus ac eventus, ut evadant hac ratione sinceri & inculpati. Denique quoniam abstinentia a murmurationibus & disceptationibus pertinet ad ipsam vitæ sanctæ rationem formalem, ita, ut nemo hujus laudem mereatur, nisi ab iisdem abhorreat; simul haud incongrue redditur explanative, per: adeo, ut. Obiter moneo, consimilem locutionem paræneticam occurrere, 1. Cor. V, 7. ubi *Apostolus* ἐκκαθάρατε, inquit, τὴν παλαιὰν ζύμην, ἵνα ἦτε νέον φύραμα.

§. XI.

Eo igitur contendere debent PHILIPPENSES ut sint & magis fiant inculpabiles & sinceri, ita enim PAVLLVS: ἵνα γένηθε ἀμεμπτοι. Γίνομαι, sum, fio, Luc. XIX, 17. ἔν ἀγαθῷ δὲ δουλεύωντι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένεθ, in minimo *fuisisti* fidelis, Matth. VI, 10. γενήσῃτω τὸ θέλημά σου, fiat voluntas tua. Cum præpos. εἰς constructum notat mutari, Jo. XVI, 20. ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται, tristitia vestra in gaudium *mutabitur*, Jo. III, 25. ἐγένετο ζήτησις, orta est quaestio, Act. II, 43. πολλά τε τέρατα καὶ σημεῖα διὰ τῶν ἀποστόλων ἐγένετο, multaque prodigia & signa per Apostolos *edebantur*, 1. Cor. XV, 54. τότε γενήσεται ὁ λόγος ὁ γεγραμμένος; tunc *implebitur* illud verbum quod scriptum est. In nostro commate esse ac fieri, adeoque existentiam & incrementum significare putamus. Ita etiam PETRVS scribit: Ἄγιοι γίνεσθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιος εἰμι; notanter Deus ἅγιος εἶναι esse dicitur, filii Dei autem ἅγιοι γίνεσθαι fieri, 1. Petr. I, 15. 16. Equidem novimus, eosdem PHILIPPENSES vocatos & conversos, Cap. I, 1. τῶς ἁγίους ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, sanctos in C. I. salvari, erant enim a mundi colluvie segregati & *Salvatori* nostro desponsati, in numerum filiorum Dei adoptati, remissione peccatorum & Sanctitate Christi donati, fructibus Justitiæ repleti: interim tamen ad eum perfectionis gradum nondum pervenerant, ut ab omni labe essent immunes. Ideo non recedendum, non sub-

stendum, sed progrediendum illis erat in studio pietatis. Summa ope niti decebat eos, hoc ut majore gradu fierent, quod esse cœperant. Pietas namque ac fides Philippensium admittebat gradus, ad quos per exultationem *veteris*, quorum *γοργυσμοὶ καὶ διαλογισμοὶ* spectant, & per induitionem *novi* hominis subinde ascendendum erat.

§. XII.

Sacerdotes V. T. nullo vitio laborare debebant, expressa enim lege divina sancitum erat, ut ne essent כֹּהֲנֵי טֹמֵי, vitiosi, *Levit. XXI, 16. squ. vid. JO. BRAVN. Select. Sacra, L. III. C. IV. p. 339. it. pag. 306. §. 16. ubi vitia, quæ Sacerdotem ineptum reddiderunt, erudite recensuit. Eodem modo PHILIPPENSES, quos Rex Regum Sacerdotes & Reges fecerat coram Deo & Patre suo, *Apoc. I, 6. βασιλεῶν ἱεράτευμα, ἔθνος ἄγιον, 1. Pet. II, 9. omnia sua agere tenebantur ita, ut essent & fierent ἀμεμπτοι. Teste R. STEPH., ἀμεμπτος idem est quod ἀμέμφης, Vox est composita ex α σελήκω & μέφομαι, conqueror, expostulo, succenseo, accuso, vitio verto, reprehendo, &c. Marc. VII, 2. Pharisei, cum viderent quosdam illotis manibus contra morem Judæorum panem comedentes, ἐμέμφαντο, succensebant, conquerebantur, Rom. IX, 19. τί ἐτι μέμφεται, quid adhuc succenset, seu inculpat? Ebr. VIII, 8. μεμφένος γὰρ αὐτοῖς λέγεις; κ. τ. λ. dum enim reprehendit, inculpat legem veterem, & non nihil in eadem desiderat, dicit &c. Inde descendit ὁ, ἢ, ἀμεμπτος, inculpatus, inculpabilis, qui eam vitæ rationem instituit, ut salva veritate, nullius criminis aut vitii publici inculpari possit; qui erga omnes ita se gerit, ut nemo habeat, quod de injuria sibi ab illo illata jure conqueratur. Sic ἀμεμπτος debet esse Episcopus præ ceteris, 1. Tim. III, 2. VI, 14. & vidua, 1. Tim. V, 7. Ἀμεμπτος igitur est integer homo vitæ, scelerisque purus. Ἀμεμπτος φίλος, amicus certus, qui non animimum unquam & candorem mutavit apud XENOPH. PAVL-**

PAVLLVS, Apostolus, dicitur, κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ
 γενομένος ἀμεμπτος secundum Justitiam, quæ est in lege, fuisse ir-
 reprehensus, i. e. tanquam exactissimus Phariseus strictissime
 totam legem cerimonialem & Judaicam observasse, ut nihil,
 quod ad cultum externum attinet, in eo posset reprehendi, *Phil.*
III, 6. JOANNES & ELISABETH εἶσαν δίκαιοι ἀμώτεροι
 ενώπιον τῶ θεῶ, ἀμεμπτοι *Luc. I, 6.* Deinceps de legali dispositio-
 ne adhibetur, quippe quæ haud fuisse dicitur ἀμεμπτος, quo,
 quæso, sensu? Resp. Lex, de qua sermo est, cerimonialis erat
 ordinatio divina particularis, ratione populi & temporis, & lo-
 ci, eaque sancta in se ac bona, sed non sufficiens ad salutem. Con-
 tinebantur eadem nonnisi umbræ & typi, corpus & Antitypus
 adhuc dum desiderabatur, Christus, qui omnia impleret. Lex
 cerimonialis & Christus sunt quasi correlata, quorum neutrum
 sine altero rite intelligi & explicari potest. Quare ἡ πρώτη ἐκείνη
 διαθήκη perhibetur fuisse non ἀμεμπτος, haud ita comparata, per-
 perfecta, consummata, ut in eadem nihil posset desiderari, expe-
 ctabatur enim nova œconomia, quæ futura erat illius comple-
 mentum, *Ebr. VIII, 7.* Præterea XENOPHONTΙ ἀμεμπτος
 quoque est non querulus, minime queribundus, qui alios, a
 quibus læditur, non facile in iudicium vocat. Quemadmodum
 igitur animal Deo offerendum in V. T. debebat esse ἁγιος:
 sic PHILIPPENSES Deo in sacrificium oblati eo contendere
 omnibus iubentur viribus, quo evadant ἀμεμπτοι, irreprehen-
 sibilis, qui nullius criminis postulari queant notorii aut publici.
 Hanc mentem Spiritus Sancti ut accuratius & cautius indage-
 mus, observandum, hoc vocabulum vel de Sanctitate coram
 Deo, vel coram hominibus sumi, eaque vel perfecta, vel imper-
 perfecta. Omnes quidem PHILIPPENSES ἀμεμπτως coram
 Deo & hominibus vivere tenebantur, sed tamen adeo perfecta
 in hac imperfectione non evasit ipsorum inhærens vitæ sancti-
 monia, ut proprie loquendo Deus nihil in illis posset deside-
 rare,

rare, : כִּי לֹא-רָצַק לִפְנֵיךְ כָּל-חַי. Pf. CXLIII, 2. Conf. Job. IV, 18. sensu rigoroso in altera demum vita erimus ἀμεμπτοι, simulque ἰσογγελοι. Interim coram Deo PHILIPPENSES reputabantur ἀμεμπτοι. Fide per imputatam Christi Justitiam irreprehensibilem, qui est ὁ ἀμνὸς ἀμωμος καὶ ἄσπιλος, agnus immaculatus & incontaminatus, 1. Petr. I, 19. Præterea tenebantur per omnem vitam eo tendere, ut fierent ἀμεμπτοι, quantum quidem fert humana imbecillitas, adeoque abstinerent a peccatis contra conscientiam, vitiisque proæreticis. Ceterum, quæ ratione hæc vox ex oppositis & cognatis illi ustrari possit, IVL. POLLVX indicat *Onomast.* L. III. C. XXIX.

§. XIII.

Requiritur præterea, ut sint sinceri, ὡς γένηθε ἀμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι. Conjunctio καὶ demonstrat, hoc posteriori eadem necessitate esse, quo prius illud. Duplex vocis ἀκέραιος circumfertur etymologia, ut tertiam taceamus, quæ enim tertio loco a quibusdam adducitur, ne vero quidem similis videtur. *Aliis* derivatur a κερᾶω, s. κερᾶίνωμι, misceo, quod de mixtura aquæ & vini ut plurimum exponi solet, quemadmodum cognata Substantiva condocent, v.g. κερᾶμα, vinum aqua mixtum, κερᾶσις mixtura aquæ & vini, κερᾶτῆς vas, in quo miscetur vinum &c. Vnde ἀκέραιος proprie est non mixtus, non adulteratus, purus, sincerus, qui peregrinum nihil habet admixtum. Ἀκέραιος, ὁ μὴ κεκραμένος κακῶς, ἀλλ' ἀπλῆς, καὶ ἀποκίλος, uti *Etymologicum magnum* habet. οἶνος ἀκέραιος græcis est vinum purum; ἀργύριον ἀκέραιον, argentum purum, non adulteratum, quod IVL. POLL. in *Onomast.* annotavit. Per metaph. notat simplicem ac sincerum, candidum. Duplex datur simplicitas, altera culpabilis, qua quis stupidus in bonis, callidus ac versutus in malis patrandis, idque vel per naturam, vel per pravam consuetudinem: altera laudabilis, qua probi ad mala inepti, ad bona prompti sunt, quæ simpliciter, sincere, ingenue & sine fuce faciunt,

ciunt,

ciunt, Rom. XVI, 19. Posterioris h. l. ratio habenda est. Aliis deducitur ἀκέραιος, seu κεραιος, cornu, ut ἀκέραιος sit sine cornibus, innocens, placidus. Bestiæ, quas natura cornibus armavit, iisdem utuntur ad sui defensionem, & vim aliis inferendam; quæ vero cornibus destituuntur, eodem modo nocere non possunt. Ad similitudinem horum animalium homines impii, imprimis potentes, vi a Deo sibi concessa abutuntur ad violentam sui defensionem, ad alios premendos, opprimendos. Quare boves, taurique fortes robore sapius in pandectis Sacris appellantur iniusti, potentia valentes, conf. Pf. XXII. Pii contra & iusti sunt ἀκέραιος, similes animalibus sine cornu, innocentes, qui aliis non nocent, nec vim ullam inferunt, suum potius cuique relinquunt. Priorem derivationem posteriori præferendam existimamus. Conf. Math. X, 16. γίνεσθε φρόνιμοι ὡς εἰ ὄφεις, καὶ ἀκέραιοι ὡς περὶ σέρπεντα: De quibus verbis GREGORIVS in JOBVM, L. I. Cap. II. inquit: „Vtraque necessario in admonitione conjunxit Servator, ut simplicitatem columbæ astutiæ, serpentis instrueret, & rursum serpentis astutiam columbæ simplicitate temperaret. Scilicet, sicut candor, sinceritas, & innocentia columbarum præ ceteris animalibus eminet, quæ inter se non insidiantur, non auferunt, non lacerant, non devorant corvorum, cuculorum, & milvorum ritu, sed innocenter & sincere invicem vivunt absque dolo: Ita Discipuli Christi cum prudentia innocentiam haud vulgarem conjungere debebant. Eadem voce PHILIPPENSES exhortatur gentium doctor, ut sint innocentes, puri, sincerique in vita & fidei doctrina; ἀμεμπτοι intuitu vitæ ac morum; ἀκέραιοι respectu fidei ac doctrinæ. Omnis enim vitæ innocentia, quomodo demum cunque jactata, absque puritate doctrinæ & sinceritate fidei est nulla, & mera hypocrisis, ideo *Apostolus* utramque conjungit. Multi tunc temporis Evangelium quæstus causa prædicabant, Phil. II, 21. III, 2. & quemadmodum εἰ πάντες μισοῦσι τὸν αἶνα ὑμῶν

ἰδαται, caupones miscent vinum aqua; Ec. I, 22. Ita isti doctrinam salutarem haud pure & ingenue, sed mutilate & corrupte hominibus propinabant. PAVLLVS hoc scelere immunis PHILIPPENSIBVS rectam salutis viam monstrarat, ad limpidissimos Israël's fontes eos deduxerat, verbum purum eos docuerat, & γὰρ εἶπεν, inquit, ὡς αἱ πολλοὶ, καταπλέουσιν τοῦ λόγου τῆς θεῆς, ἀλλ' ὡς ἐξ εὐκρινείας, ἀλλ' ὡς ἐκ θεῆς, κατ' ἐνώπιον τῆς θεῆς, ἐν Χριστῷ λαλῶμεν, 2. Cor. II, 17. Qualem igitur traditam acceperant doctrinam fidei, scilicet puram, talem tenere cordibus puris & fide servare eos decebat, quo essent ἀκέραιοι, & quidem λόγον ζωῆς ἐπέχοιτες, ad verbum vitæ accurate attendentes, quod v. 16. statim subiungitur, & hoc ipso modo & medium commendatur, quo ἀκέραιοι esse, manere, & magis fieri possint ac debeant, nimirum accurata verbi attentione, meditatione ac scrutinio.

§. XIV.

Illustrari ergo ulterius potest vox ἀκέραιος nomine ejusdem fere emphaseos, εὐκρινής, & εὐκρινεία, quam *Noster* alibi *Corinthiis* suis commendat, 1. Cor. V, 8. Etymologia τῆς εὐκρινείας elegantem significationem prodit, componitur enim ex ἔλη, splendor solis, & κρίνω, judico, examino. Est igitur εὐκρινής, quasi τῆς εὐλῆς κρινόμενον, quod ad splendorem solis examen sustinuit, purum, perspicuum, manifestum, non permixtum, non fucatum. Opponitur simul impuris, falsis, obscuris, simularis, qua quamdiam in loco caliginoso ponuntur a luce meridiana seclusa & abscondita, tamdiu ab imperitis & imprudentibus rerum aestimatoribus habentur pro veris ac genuinis, qui per fucum imponi sibi patiuntur: Quodsi vero protrahantur ad lucem & solis splendorem, examen haud sustinent. Ita se res habet cum mercibus injuria corruptis temporum, auro spurio, & argento, gemmisque ignobilioribus. IVL. POLLVX. in *Onomast.* L. III. Cap. XI. χρυσὸς ἀπεφθός, εὐκρινής, aurum incertum, sincerum. Similiter comparatum est cum hominibus.

bus. Hypocritæ formam externam mentiuntur aliam, quam habent internam, histrionum & Pantomimorum ritu in ludis scenicis, ubi homuncio notæ levissimæ personam viri gravissimi, nonnunquam summi Regis induit, quem tamen si cominus & larva detracta aspexeris, nihil minus est, quam is, qui videri volebat. Absit hæc vitæ ratio turpissima a sapiente, summæque sapientiæ discipulo; hic esse debet *εὐκρινής*, sincerus, purus, non fucatus, candidus, mente, verbis, gestu & factis, ita ut interiora animi, concinna quadam harmonia respondeant externis. Sicut mel purum sincerum i.e. sine cera esse deprehenditur: Ita verus Dei amicus sine errore credat & absque dolo vivat. Merx bona non solum in loco obscuro probatur emtori; sed etiam ad splendorem solis producta examen sustinet; gemma nobilior non tantum nocturno, sed etiam diurno tempore ex radijs scintillantibus cognoscitur: Sic coram oculis Dei, sole clarioribus, filii Dei *εὐκρινής* esse & examen sustinere tenentur: Πάντα γὰρ γυμνά καὶ τετρααχλίσματα τοῖς ἰφθαλμοῖς αὐτῆ, omnia enim nuda & resupinata, resecta sunt coram oculis ejus, instar sacrificiorum per spinam dorsi a tergo divisorum, quorum puritatem Sacerdotes ex sollicita singularum partium intuitione æstimare debebant; *Ebr. IV, 13.* Eadem *εὐκρινεία* PHILIPPENSES decebat, quare *Cap. I, 10.* dixerat Apostolus, ἵνα ᾗτε εὐκρινεῖς καὶ ἀπρόσκοποι εἰς ἡμέραν Χριστοῦ. Ad quæ verba ESTIVS observat, hoc vocabulum *Græcis Interpret.* ut plurimum de doctrina explicari. Et IO. CASP. SVICERVS: „Quando Apostolus *Phil. I, 10.* vult nos esse, *εὐκρινεῖς*, a nobis exigit, ut simus incorrupti & puri in retinenda sana Evangelii doctrina, & minime fucati in tota vita,“ *Theaur. Eccl. p. 1029.* conf. *2 Cor. I, 12. II, 17.* Ad eandem sinceritatem respicit, in oraculo nostro adhortans: ἵνα γένηθε ἀνέγκαι,

§. XV.

PHILIPPENSIS Ecclesiæ membra ad hanc sinceritatem
maxi-

maxime obligata erant, quoniam per fidem & regenerationem pervenerant ad statum filiorum Dei, quorsum tendere videtur vir Dei, compellans eos nomine excellentissimo: τέκνα Θεῶ, quasi dixerit: Quicumque sunt adoptati in filios Dei per regenerationem & justificationem, illi sint ac fiant ἀμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, imo omnia sua faciant χρεῖς γογγυσμῶν καὶ διαλογισμῶν, oportet. Filius honesto loco natus, laudabile honesti Parentis exemplum imitari tenetur: Multo magis ii, quos Pater luminum βεληθεῖς ἀπεκίνησε λόγῳ ἀληθείας, eis τὸ εἶναι αὐτῆς ἀπ' ἀρχῆν τινα τῶν αὐτῆ κτισμάτων. Iac. I. 17. 18. summi sanctissimique Patris premere vestigia debent, vigore mandati Pet. I. 15. 16. 17. sancti estote. Certe hoc ipsum est, quod in mentem cœtui sancto revocat Apostolus, cogitent se esse τέκνα Θεῶ, eamque ob causam vitam degant filiis Dei dignam; magnum enim beneficium, magnam gratitudinem meretur. Τὸ τέκνον, quod ἀ τίκτω ortum trahit, prolem & sobolem notat, sive sit masculus, sive femina, adeoque latius patet, quam υἱός, quod filium designat. Τέκνον de brutorum & hominum fœtu dicitur, nonnunquam apud Profanos Auctores in plurali fruges significat. HOMERVS & PLVTARCHVS κινῶν τέκνα commemorant. Τὰ τέκνα hominum, sunt latinorum liberi, Matth. XV. 26. Proprie sunt liberi s. nati, quos mater enixa est, uti constat, τίτην proprie dici de partu mulierum, in quam sententiam HESIOΘVS canit:

Τίτησι δὲ γυναῖκες ἐκίῳτα τέκνα γονεῦσι.

MARIA IESVM, olim ex se natum, tunc puerum XII. annorum vocat τέκνον, Luc. II. 48. conf. Io. XVI. 21. Deinde filii spiritualiter renati in sacris hac voce denotantur. Credentes filii DEI salutantur regeniti non ex corruptibili, sed incorruptibili semine verbi veritatis æterni, 1 Pet. I. ex Deo geniti, Io. I. Imo, ut innotescat misericordia paterna & effectus maternus Dei, IACOBVS affirmat, Patrem cœlestem ex útero quasi exclusisse & exœrassse filios suos, αὐτῆς ἀπεκίνησεν ἡμᾶς, Iac. I. 18. Τέκνα stylo

Scri

Scripturæ S. sunt incolæ urbis, Matth. XXIII. 10. Nimirum non est infrequens, magnas urbes & metropoles appellari matres, minora oppida מָטְרָה , filias; incolas autem filios. Iudic. XI. 26. BVXTORF. *Lex Ebr.* p. 79. 80. תְּלָמִיד sunt discipuli sapientia, seu doctoris sapientissimi, qui Christum recipiunt & doctorem veritatis ac iustitiæ declarant Matth. XI. 19. Ad quem locum vid. IO. CHRISTOPH. WOLFFII *Cur. Philol. & Crit. in N. T.* p. 198. sq. $\text{καὶ ἐδικαίωσεν ἡ σοφία αὐτὴ τῶν τέκνων αὐτῆς}$, sed iustificata est sapientia a filiis suis: *var. Lect.* apud LVCAM C. VII. 35. pro ἐδικαίωσεν habet ἐτιμήσεν , honorata, asseruata est. PHILIPPENSES dicuntur τέκνα Θεῶν , ubi vocabulum *Deus* absolute positum non personaliter, sed essentialiter accipiendum, uri v. præced. 13. Qua ratione eadem vox apud Gentiles *de Iove*, Deorum Patre, ceterisque deastris dicatur, operose collegit multa R. STEPH. in *Lex.* T. I. p. 1517. Conjecturas varias de Etymologia vocabuli *Deus* vide, si placet, apud SVICERVM l. c. p. 1365. sq. In Codice S. *Deus* de deastris κατὰ ψεύδος , de angelis & magistratu Dei vices gerentibus, κατὰ χάριν , de vero, unico & immortali Deo, Spiritu independente, infinito, perfectissimo, essentialiter uno, personaliter trino, & causa omnium rerum, κατ' ἀλήθειαν καὶ κατ' ἔσθον usurpatur. Pro diversitate prædicatorum & circumstantiarum nunc tota essentia divina, nunc una aut altera deitatis persona intelligitur. Figmentum est regula *Photiniano- rum*: „Nomen *Deus* cum articulo solum verum Deum notat, sine articulo vero minime.” Confutatur hæc sententia facillime, *Deus* enim sine articulo verum Deum designat in Textu nostro, & Matth. IV. 4. VI. 24. Vicissim ὁ Θεός cum articulo sæpius de eo, quod non est verus Deus, legitur, confer. Act. VII. 43. Phil. III. 19. Plura de hoc argumento differit SAL. GLASSIUS *Phil. S. L.* III. Tr. II. Can. III. p. m. 699. Impii sunt filii Diaboli & servi, mancipia peccati, contra vero PHILIPPENSES pii τέκνα Θεῶν , liberi Dei. Quam detestanda conditio illorum, tam

laudabilis horum est indoles. *Τέκνα Θεῶν* per creationem, conseruationem & gubernationem curamque specialem; *Τέκνα Θεῶν* per uniuersalem I. C. redemptionem, ejusdemque applicationem; *τέκνα Θεῶν* per electionem ab aeterno factam, Eph. I. *τέκνοι Θεῶν* per Spiritus S. uocationem, regenerationem, sanctificationem & adoptionem, Rom. VIII. *Τέκνα Θεῶν* per obedientiam, timorem, crucem s. castigationem, amorem, fiduciam, patientiam & orationem filialem. Tales erant PHILIPPENSES. Ergo non filii Dei per emanationem & generationem essentialem, seu communicationem ejusdem essentiae diuinæ, hoc namque sensu Deus *unicum* agnoscit *filium*, eumque aeternum *ἑμμόσιον* & Patri coessentialem, qui propterea appellatur *ὁ υἱὸς ὁ μονογενής*, Ps. II. Jo. III. 16. Ebr. I. 5.

§. XVI.

Non sufficit esse filios Dei, sed filios esse decet inculpatos, ideoque adjuncto egregio nomen illustre τῶν τέκνων exornat Apostolus, dum Philippenfes non tantum τέκνα Θεῶν, sed τέκνα ἀμώμητα salutat, qua uoce exemplarem quandam & prorsus singularem uitæ integritatem filiis Dei dignam indigitat. Ἀμώμητος, ὁ, ἢ, irreprehensibilis, inculpabilis, in quo nec Momus inueniat, quod jure possit carpere. Componitur ex ἀ σερητικῶ & μαμητος, vituperabilis, qui uno vel pluribus uitiis notoriis laborat, id quod de corruptis filiis Israelis dicebatur Deut. XXXII, 5. Verbum est μαμάμοι, vox originalis ὁ μάμος, macula, dedecus, probum. Homines carnales in diem iudicii reservati Petro sunt σπίλοι καὶ μῶμοι, labes & macula s. prostibula generis humani. Si abstractum loco concreti h. l. vim superlativi obtinet, notantur homines summis commaculati sceleribus, aliis maculam adspergentes, 2 Pet. II. 13. conf. celebr. IOACH. LANGII *Excursus. Epistol. Petri*, p. 745. sqq. Teste PASORE *μῶμος* exacte congruit cum hebr. מוֹמ, quod ejusdem est significationis, vitium enim notat, labem & maculam non tantum corporis, uerum

rum

rum etiam mentis. 2 Sam. XIV. 25. de pulchritudine *Absolonis*:
 מומוס אהיה בר מומוס & *ἐκ τῆν ἐν αὐτῷ μῶμος*, LXX. ומום אין בר
 & vitium non est in Te, Cant. IV. 7. Præterea Græcis juxta &
 Latinis scripioribus *Mōmos* DEVS est, ille reliquorum Deorum
 irrifor & reprehensor, quo de HESIODVS & LVCIANVS
 aliiq; plura dabunt. IO. IAC. DENTZLERVS faciem ejus
 ita depingit: „*Momus est Deus, Nocte matre ac somno Patre,*
 „ut fingunt, progenitus, cujus proprium fuit, ipsum quidem
 „nihil operis edere, Deorum autem aliorum opera curiosis con-
 „templari oculis, & si quid perperam factum, aut omissum, id li-
 „berrime carpere; unde nomen accepit. Hic in hominis opi-
 „ficio hoc potissimum notavit ac reprehendit, quod opifex in
 „pectore non fenestras aut ostiola addidisset, quo quid in corde,
 „multis recessibus sinuoso, lateret, perspici posset. Indignum
 „illi visum fuit, oculos non ita fuisse collocatos, ut circummagi
 „plane possint, atque interiora hominis perinde ac externa in-
 „tueantur, &c. Hæc & plura habent: P. FRANCISC. PO-
 MEY in *Panth. Myth.* p. 134. VINC. CHARTAR. *Imag.*
Deorum, p. 199. NAT. COMIT. *Myth.* LIX. C. XX. Vnde
 derisor quilibet ac censor iniquus dicitur *Momus*, quippe qui cæ-
 cus in suis, perspicacissimus in aliorum est vitiis dijudicandis, cu-
 jus farina colluvies hoc tempore universum terrarum orbem
 inundavit. Igitur ἀμώμητοι esse debent PHILIPPENSES,
 GALLVS: sans tâche, absque macula, h.e. tales in moribus &
 omni vita ratione, ut ne *Momus* quidem in ipsis deprehendar,
 quod salva veritate reprehendere possit. Quod si ergo impii
 existunt σπιλοι καὶ μῶμοι, filii Dei contra studeant esse ἀμώμοι,
 hinc PETRVS cohortatur: σπεδάσατε ἅσπιλοι καὶ ἀμώμητοι αὐτῶ
 ἀρεθῆναι ἐν εἰρήνῃ 2 Pet. III, 14. Ἄμωμος idem est, quod ἀμώμητος, &
 de castitate virginum, agni sponсарum, Christum sequentium
 dicitur Apoc. XIV. 5. quæ uberius ad rem præsentem appli-
 cari possent, si instituti nostri tale quid permitteret ratio. Il-
 lud

lud potius ad hanc vocem caute monemus, quod nomen ἀμαρ-
 μητες, a vocabulo ἀναμαρτητος accuratis limitibus discernendum
 fit, æque ac supra ἀμαρτητος καὶ ἀνεπίστονος ne ἀναμαρτητοσων quan-
 dam soli Christo homini, cum Deo & angelis atque electis, pro-
 priam, piis in hac vita tribuamus, quamvis præterea a præcepto
 divino ad perfectam ejusdem impletionem non semper valeat
 consequentia.

§. XVII.

Ecclesia PHILIPPIS collecta comparanda erat
 tritico inter zizania, undique malorum circumfusa multitudine,
 qui momorum instar eorum observabant actiones, traduce-
 bant & calumpniabantur. Ideo vitæ inculpatæ studendum erat,
 sive supra se Deum, sive juxta se bonos, sive pravos homines,
 respicerent, horum enim intuitu adjicit *Apostolus*: ἐν μέσῳ γενεᾶς
 σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, quæ locutio Deut. XXXII. 5. 6. legitur.
 Scilicet mens viri sancti huc redit: Qui in mediis hominibus
 perversis vivunt, id sedulo operam dare tenentur, ut omnia a se
 fiant absque murmurationibus & contentionibus, quo existant
 inculpati ac sinceri, filii Dei irreprehensibiles in puritate doctri-
 næ & vitæ, idque post alias causas, propter amovendas calumnias
 & evitandas mundi seductiones. Securis nobis non licet esse
 unquam. Milites ab hoste circumfessi duplicant excubias:
 Christi militibus hostium numero circumcinctis major vigilan-
 tia, cura & sollicitudo adhibenda est. Μέσος, medius, nunc me-
 dietatem temporis notat, sic μέσος ἡμέρας, est meridiano tempore.
 Act. XXVI, 13. μέσος νυκτός, media nocte κραυγὴ γέγονε, Matth.
 XXV, 6. nunc medietatem loci, Luc. XVII, II. nunc medietate-
 tem societatis, ita *Servator* misit *Apostolos* ὡς ἀγνοοῦς ἐν μέσῳ λυ-
 κῶν, Luc. X, 3. & ipse sterisse perhibetur in medio discipulorum,
 καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, h. e. ἐν τῷ μέσῳ, Jo. XX, 26. Nunc medietate-
 tem causæ & signi inter partes dissidentes, Gen. IX. 13. quare μέ-
 σότης est, qui partes litigantes conciliat invicem, 1 Tim. II, 5. De-
 nique

inique more latinorum peculiariter scriptum legimus τὸ εἶρεν ἐν μέσῳ, e medio tollere, Col. II, 14. In commate nostro ἐν μέσῳ idem est ac inter, vt consortium cum hominibus hujus seculi inevitabile indicetur, quo demum cūque se verterent PHILIPPENSES, habebant istos socios, existentes ἐν μέσῳ αὐτῶν. Equidem PHILIPPENSES evocati ac egressi erant e mundo spiritualiter, vigore mandati: ἐξέλθετε ἐν μέσῳ αὐτῶν, καὶ ἀφορισθητε, λέγει ὁ κύριος, 2. Cor. VI, 17. collat. 2. Cor. VI, 14. 15. sq. Interim tamen non omnia actionum civilium commercia cum mundo interdicta voluit Dominus, secus oportuisset illos ἐν τῷ κόσμῳ ἐξελθεῖν, 1. Cor. V, 10. Potius versabantur adhuc ἐν μέσῳ τῶν ἀπίστων, uti LOT, NOAH, ZACHARIAS, IOSEPHVS, aliique sancti ἐν μέσῳ iniustorum. Sed hanc ipsam ob causam vel maxime debebant τὴν ἀναστροφὴν ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἔχειν καλὴν, 1. Petr. II, 12.

§. XVIII.

Quos PETRVS l. c. vocat τὰ ἔθνη, eosdem h. l. PAVLVS appellat γενεὰν σκολιὰν. Γενεά, gens, natio, progenies, generatio, unde γενεαλογία, recensio generationum, in linea pariter ascendente ac descendente, conf. Matth. I, 17. Nonnunquam γενεά est aetas certa, s. temporis spatium, ita DEMOST. inquit: ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, hoc nostro seculo, aetate nostra. Item: Homines certo tempore viventes, γενεά dicuntur Matth. XXIII, 36. Luc. XXI, 32. Ebraeorum loquendi ratio est, ubi misericordia Dei durare perhibetur erga populum: εἰς γενεάς γενεῶν, in generationes generationum, i. e. perpetuo, Luc. I, 50. adeoque sere idem est, quod ἐν τῶν αἰώνων τῶν αἰώνων, more hebraeis recepto, qui dicunt: וְרַחֵם אֶת אֲבוֹתָינוּ & וְרַחֵם אֶת מִלְּחָמָה לְעוֹלָם; vidi SVICER. p. 743. sq. Alibi eadem vox qualitatem, indolemque notat, qua certo hominum generi adheret, Luc. XVI, 8. Hoc loco multitudinem hominum, qui partem generis humani deteriori constituent, designat, id quod ex contextu clarum est. Cuius vero γενεά caterva illa nominatur? Primo quidem, quia familia instar

fecundissima in terris augentur; ac uti mali malis creantur: sic
 impii impiorum vestigia premunt, imo *ὡς τέκνα τῆ διαβολῆ,*
τῆ πονηρῆ πατρὸς exemplum imitantur. Qui familiam consti-
 tuunt, inter se vivunt familiariter: Eodem modo mali malo-
 rum utuntur familiaritate. Sunt in familia ordines & gradus;
 sunt etiam in grege pravorum impietatis ac malitiæ gradus. En
 tibi gregem vituperabilem, cuius Dux, Pater, Princeps, SATA-
 NAS, impænitentes filii invicem fratres, regula vivendi volun-
 tas impurissimi Spiritus. Rectissime igitur agmen ἀπίστων appel-
 latur *γενεά,* & quidem *σκολιᾶ.* *Σκολιός, εἰ, ὄν,* curvum, tortuosum,
 quod non habet rectitudinem sibi debitam. Sic via recta oppo-
 nitur curvæ, flexuosæ, obliquæ ac gibbosæ; *καὶ ἔσται τὰ σκολιᾶ εἰς*
εὐθεΐαν, & curva erunt in planitiem, Luc. III, 5. conf. Ef. XL, 3. 4.
 IVL. POLLVX: ὁδὸς σκολιᾶ, obliqua, τῇ ὁδῷ λεία, plana, contra-
 distinguitur. *Etymologic. magn.* ita: *Σκολιός, ὁ μὴ εὐθεΐαν ὄδον*
πορευόμενος, ἀλλὰ διεστραμμένον. Nec minus de sinuoso aurium fo-
 ramine dici consuevit: *καὶ ἡ ὀπή δε τῶν αὐτῶν, ἡ παραπέμπουσα τὴν*
φωνὴν εἰς τὴν ψυχὴν, σκολιὸς πόρος τῆς ἀκοῆς λέγεται, aurium vero
 foramen, quod vocem ad animum demittit, *tortuosus* auditio-
 nis meatus dicitur, POLLVX. Medicis hac voce mem-
 bra corporis tortuosa indicari perhibent, & apud HIPPO-
 CRAT. & GALEN. *σκολιωσις* omnis spinæ depravatio dicitur.
 Improperie per metaphor. usurpatur de eo, quod est pravum & a
 regia verbi divini via aberrat ac defleat, quo sensu de populo
 Judæorum corruptissimo legitur, Act. II, 40. Speciatim iniqui-
 tatis, asperitatis, sævitæ & morositatis involvit notionem, qua
 heri injusti in servos uti solent. PETRVS alibi conversos ser-
 vos, ad patientiam & obedientiam, *εἰ μόνον τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπι-*
σκεΐσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιῶς δεσπόταις præstandam paterne co-
 hortatur, i. *Perr.* II, 18. Quoniam cit. l. *δεσπότης ἀγαθός,* Herus
 bonus, æquus, justus, mansuetus, τῷ σκολιῷ opponitur, facile col-
 ligitur, quod hic sit malus, injustus, iniquus & asper. Adeoque
 haud

haud difficulter intelligitur, quid *Nostro* sit γενεά σκολισά, nimirum progenies hominum tortuosa pravaque, mentes habens viasque inflexas & a recto prorsus declinatas.

§. XIX.

Gentiles & impii a Deo alieni porro dicuntur γενεά διεστραμμένη generatio perversa, quod est part. perf. pass. a verbo διαστρέφω, pervertere, distorquere, immutare. Plerumque in malam partem, de mutatione *in deterius*, raro aut nunquam de mutatione *in melius* usurpatum deprehendo. Designat perversitatem doctrinae ac vitae. Prior usus obtinet, *Act. XIII, 8. Ἐλύμας ὁ μάγος ζητῶν διαστρέφει τὸν ἀνδρῶτατον ἀπὸ τῆς πίστεως, Elymas, Magus, studens perversere Proconsulem a fide; & v. 10, εἰ πᾶν-ση διαστρέφω τὰς ὁδὸς κυρίου τὰς εὐθείας; nonne desistes pervertere vias rectas domini? Act. XX, 30. λαλῶντες διεστραμμένα, loquentes perversa verba. Vitae ratio perversa corruptaque indicatur a Salvatore dicente, exclamante: ὅ γενεά ἀπίστος καὶ διεστραμμένη, o incredulam & perversam profapiam! *Luc. IX, 41. Math. XVII, 17.* Ex quibus liquet, διαστρέφω proprie idem esse, ac aliquid a rectitudine sua aliorum deflectere, ex recto facere tortuosum & inflexum. Metaphorice autem notat, ad corruptionem mentis, doctrinae morumque deducere, a sapientia vera ad summam abstrahere stultitiam. Scilicet Deus hominem ad imaginem sui conditum fecerat רַשָׁי rectum cum rectitudine s. perfectione mentis & corporis, ad perpetuam fruitionem felicitatis. Contra ea Deus huius seculi corrumpit omnia & pervertit. Pervertit intellectum seductorum hominum tenebris ignorantiae, pessimarum opinionum praconceptarum & incredulitatis, ut non videant claram Evangelii lucem, *2. Cor. IV, 4.* Pervertit voluntatem, pronam ad scelera, aversam ab amore Dei & proximi. Quotquot igitur Seductori obtemperant, ambulantes in tenebris mentis, voluntatis pravarumque cupiditatum, illi pertinent ad gregem eorum, qui sunt γενεά διεστραμμένη, genera-
tiō*

tio perversa, a bono ac vero separata, ad malum seducta. Certe, si gentiles, imo omnes ἀπίστοι aspicias, non nisi perversitates cogitationum, sermonis, gestuum factorumque infinitas observaveris, inversum Decalogum. Quae enim erant omittenda, committunt summo studio & ardore, non secus, ac si ad hoc vocati & creati essent; ut adversus Deum agerent: Quae facienda ipsi erant, turpi quadam negligentia omittunt, ut eadem sub comminatione poenae gravissima prohibita esse existimaveris. Deserendus erat Diabolus, Deus quaerendus: At illi, Deo optimo ejusque cultu post tergum relicto, rebus pessimi Spiritus student eique summa animi voluptate serviunt. Hinc tot perversa νοήματα, Rom. I. & II. & alibi commemorata. Quemadmodum Graeci, διάστροφον, perversum oculis dicunt; canes διάστροφες τὸς πόδας intortis pedibus; & animalia, διάστροφοί τὴν ὄψιν, perversa facie, teste IVL. POLLUCE: ita mali homines quoad omnes animi & corporis vires διαστραμμένοι καὶ διάστροφοί jure suo appellantur. Ideoque non infrequens in S. literis haec est loquendi ratio, conf. Deut. XXXII, 5. Marc. IX, 12. Matth. XVI, 4. & XII, 39. ubi gens perversa Judaeorum in oculis Christi est γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς, generatio prava & adultera; „πονηρὰ quidem, quia cum toto mundo ἐν τῷ πονηρῷ κέεται, I. Jo. V, 19. μοιχαλὶς, adultera, quia sponsum suum deseruit, interprete GREGORIO NYSS. ad h. l. Ejusdem farinae erant, in quorum medio ambulabant PHILIPPENSES, ἐν μέσῳ γενεῶς διαστραμμένῃς. Qui in Societate viatorum errantium iter facit, summam adhibeat diligentiam, ne a via recta abducatur.

§. XX.

Ceterum, sicut voces ejusdem fere notationis in eadem constructione significationem insigniter intendunt: ita haec duo vocabula e regione simul opposita prioribus videntur. Nimirum discernuntur inter se filii Dei & diaboli; illorum ratio jubet eos esse ἀμέμπτες καὶ ἀνεραΐες: horum autem ea est conditio,
ut

ut sint & magis fiant *σκολοὶ καὶ διεσραμμένοι*, adeoque οἱ σκολοὶ τῶν ἀμέμπτων καὶ ἀμωμήτων, οἱ διεσραμμένοι τῶν ἀνεργῶν opponuntur accuratissime. Hinc pii in Sacris audiunt: γενεὰ δικαία, generatio iusta, *Pf. XIV, 5. γενεὰ ἐυθέων*, profapia rectorum, *Pf. CXII, v. 2.* Ab isto igitur porcorum grege se distinguant PHILIPPENSES filii Dei, in doctrina, fideque pura & vita inculcata, uti lux distinguitur a tenebris, uti stella media nocte splendet; Idcirco additur: ἐν οἷς φάινεθε. Ante omnia notamus constructionem relativi plural. masc. cum præced. singul. form., quæ Enallage generis & num. frequens est in Codice S. hebraei pariter ac graeci idiomatis. De genere conf. *Gal. IV, 19. τενιοι μὲ, ἐς πάλιν* &c. de numero vid. *Act. XV, 36. κατὰ πάντων πόνων, ἐν οἷς* &c. plura exempla collegit GLASS. *Philol. S. L. III. Tr. II. Can. XVI. XVII. p. m. 724 - 727. it. 1238.* Neque hoc sine causa ponitur. *Τεναὶ* enim, collective sumpta, multitudinem hominum ad generationem pravam & perversam spectantium complectitur, hinc multitudinis declarandæ ergo relativum h. l. numero plurali exprimitur, ἐν οἷς, i. e. *σκολοῖς καὶ διεσραμμένοις ἀνθρώποις*. Præpositio ἐν diversas habet notiones, tam intra quam extra compositionem, quas egregie ac distincte coordinatas vide apud *Celeberr. CHRIST. STOCKIVM Clav. Lingu. S. Nov. Test. p. 396. sq.* Hoc loco significat inter, uti *Matth. XI, 11.* Consentit GALLVS: *parmy laquelle*, qui neglecta Enallage ad sensum, & ad vocem præced. Nation, respexisse videtur. Hanc esse veram notionem, res ipsa loquitur, est enim sermo de consuetudine hominum externa, inter quos degebant PHILIPPENSES. Consequenter τὸ ἐν, idem est ac supra ἐν μέσῳ. Inter illas igitur tenebras τένια θεῶν luceant, ceu lux in Domino; ἐν οἷς φάινεθε. Interpretum alii h. l. imperativum, alii indicativum adesse dicunt. Sensui in se nihil decedit, sive hunc, sive illum assumas. Interim, si scopus paedeticus attendendus, & gravior officii faciendi inculcatio nudæ assertioni merito præfertur, ceteris Textus circumstantiis non refragantibus; omnino *Imperati-*

vum hic loci *Indicativo* antepone nullus dubito. Consentit BVDAEVVS, qui τὸ φαίνεσθε per Imper. mavult exponere in *Lex.* sub voce *Φωσῆς*. Refragatur autem B. SEB. SCHMID. cui indicativus placet, cum B. LVTH. CALOV. BEZA & PISCAT. ex Patribus HIERON. & ERASMVS imperat. malunt. *Φαίνεν*, lucere, splendorem edere, τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνεις, Jo. I, 5. ὁ ἥλιος φαίνεις, Apoc. I, 16. *φαίνομαι*, luceo, videor, appereo, *nunc* de visione intellectuali, Marc. XIV, 64. τί ὑμῶν φαίνεται; quid vobis videtur? *nunc* de sensuali usurpatum legitimus, Marc. XVI, 9. *ἐφάνη* πρῶτον *μαρίᾳ*, apparuit primo *Mariæ*. *Modo* apparitionem, quæ fit vigilantibus, *modo* eam, quæ dormientibus obtingit, designat; hoc modo Angelus IOSEPHO κατ' ὄναρ ἐφάνη, Matth. I, 20. Ceterum hac voce non tantum id, quod vere, κατ' ἀλήθειαν, sed etiam, quod apparenter, κατὰ δόκησιν, tale est, insinuat. conf. Luc. XXIV, 11. Matth. VI, 5. XXIII, 27. *φαίνεσθαι*, interdum est comparere cum *παρρησια* in iudicio divino & stare, qualis comparitio impio fortissime denegatur I Pet. IV, 18. Proprie dicitur de luce, lucidisque corporibus cæli, imo quovis igne flammante, etiam de fulgure, & cum verbo *λάμπειν* fere ejusdem est significationis, Matth. XXIV, 27. Improprie *φαίνεσθαι* dicuntur, quæ lucis affectiones suo modo referunt, sive spiritualiter, sive civiliter. In foro civili lucere perhibentur viri virtutum, eruditionis, majestatis, dignitatis ac rerum gestarum laude eminentes ac celebres. Inde jam pridem usu venit, ut principes aliique nobiles salentur *Serenissimi, Illustres, Clarissimi* que. Spiritualiter in foro divino adhibetur ad exprimendam quodammodo filiorum Dei excellentiam. Postquam enim Deo, *Patri luminum*, qui & ipse *lux* est, & *Christo*, qui *lux mundi* audit, arctissime sunt conjuncti, non potest non fieri, ut viribus lucis elevati cœlestis, & exemplum *Patris* secuti splendeant præ ceteris, qui ad similitudinem corporum obscurorum caligant, ambulanteque in tenebris. Lucet filiorum Dei intellectus cognitione spirituali, lucet voluntas sanctificata vera & non fucata pietate, lucet integra vita, studio

inde-

indefeffo bonorum operum, quot illuftria fidei facta, tot radii numerantur. Stella ftellam, pius piwm luce fuperat.

§. XXI.

Hoc ipfum eft, quod vel affirmative, vel præceptive PHILIP-
PENSIBVS fuis in animum revocat *Apoftolus*, ut nimirum lu-
ceant; ἐν οἷς φαίνεσθε; quem ipforum splendorem non folum in-
dicat, verum etiam illuftrat a comparato, adjiciens: ὡς Φωστῆρες ἐν
τῷ κόσμῳ, *sicut luminaria in mundo. Φωστῆ ἀπὸ τῆ Φωστῆκεν*, luce-
re, splendere, derivari confuevit. Vfus nos docet, *Φωστῆ* effe
luminare, non tantum tale, quod fuo radiat jubare, quorfum
folem noftrum cum ftellis fixis referas; verum etiam lunam,
planetas & reliqua fidera, alieno gaudentia lumine aliaque cor-
pora illuftrantia. „*Luminare* eft proprie corpus luminofum,
„lumen ex fe diffundens: quo fenfū luminaria funt fol, luna, stel-
„la, Gen. I, 14. 15. Imiffio graviffimarum & horrendarum cala-
„mitatum per luminaria in cœlo atrata reddita intelligitur E-
„zech. XXXII. 7. 8. Improperie autem luminare eft lampas, lych-
„nuchus, qui non eft corpus in fe luminofum, fed fuffinet lucer-
„nas, quæ præbent lumen Exod. XXV, 6. XXVII, 20. Num. IV,
4. 16. Verba funt PETRI RAVANELLI, *Biblioth. Sacr. P. I.*
p. 961. Conferri poffunt, quæ de voce *Φωστῆ* obfervavit FES-
SEL. *Adverfar. Sacr. L. VII. C. II. §. 34.* Luminarium in cœlo
ufus eft in fignis, ut faciant dies noctesque, ut diftinguant ftata an-
ni tempora, ut calore fuo frigidiora corpora foveant, ut fpeciatim
globum, quem incolimus, terraqueum frugibus ferendis
idoneum reddant, in primis etiam, ut difjectis tenebris obfcurio-
ra colluftrent; & quæ funt alia, quæ de מֵאֵרַת בְּרִיקַע הַשָּׁמַיִם
quæ τῷ LXX. *Φωστῆρες ἐν τῷ στερωματι τῆ ἑρανῆ* dicuntur, confi-
gnavit MOYSES, Scriptor divinus, Gen. I. 14. fq. Ad hæc lumi-
naria cœli *Apoftolus* in commate nofthro digitum intendit, quem
admodum præter alios B. GOTTFR. OLEARIVS obfervat,
„*Apoftolus*, in genere fideles ὡς Φωστῆρας effe dicit in
„mundo, majoribus cœli *luminaribus* eos comparans, nocte dif-
E 2 „pul-

„pulsâ plena luce radiantibus,, *Observat.* in *Matth.* p. m. 322.
 CHRISTVS non solum in V. T. אור השמש sol justitia Mal.
 IV, 2. אור גורל, lux magna Ef. IX, 1. אור נרים lux gentium Ef.
 XLII, 6. appellatur: sed etiam in scripturis N. T. *νεετ' ἔσχατον*, τὸ
 Φῶς, lux, Luc. II, 32. & cum addito quodam τὸ Φῶς τὸ αἰληθινόν, lux
 illa vera, Jo. I, 9. τὸ Φῶς τῆ κόσμου, lux hujus mundi dicitur, Jo.
 VIII, 12. Quæ denominatio unde sit, & quo tendat, pro more suo,
 eruditissime excussit & enucleavit *Magnificus* noster D. SA-
 LOM. DEYLINGIVS, *Observat. Sacr. P. II. Observ. XXXII.*
 p. 407. sq. Quo sensu *Apostoli* Φῶς τῆ κόσμου dicantur, vid. in *Diast.*
 B. IO. OLEARII de *Civitate in monte illustri posita* ad *Matth.*
 V, 14. Omnes, qui sunt in unione Christi, splendeant cum PHI-
 LIPPENSIBVS ὡς Φωστῆρες. Ideoque filii Dei Φῶς ἐν κηλῶ, τέσσα
 Φῶδες, Eph. V, 8. ἐν φωτὶ ἐνομι καὶ μένειν, dicuntur, 1 Jo. II, 9-11.

§. XXII

Vult ergo PAVLLVS, PHILIPPENSES sint ὡς Φωστῆ-
 res ἐν τῷ κόσμῳ, instar luminarium in mundo. Posteriora hæc:
 ἐν τῷ κόσμῳ non tam ad filios Dei immediate, quam ad lumina-
 ria in mundo lucentia esse referenda existimo. Sicut enim lu-
 minaria ἐν τῷ κόσμῳ lucent: ita luceant filii Dei ἐν μέσῳ γεγενῆς
 σκολιᾶς καὶ διαστραμμένης. ὁ κόσμος, mundus, notat proprie ornatum
 & pulchritudinem ex partium proportione consurgentem. In-
 primis ornatum seu mundum mulierum denotat 1 *Petr. II, 3.*
 Et κοσμεῖν ἑαυτῶν, de mulieribus sese tam corpore, quam spiritu
 ornantibus legitur, 1 *Petr. III, 5. 6.* ornatus autem spiritualis est
 fides cum studio bonorum operum utrumque sexum exornans
 & commendans. IV. L. POLLVX. in *Onomast.* multa de
 κόσμοις τῶν γυναικῶν, περὶ τοῖς βραχυλίσι, περὶ τῷ τραχήλῳ, τοῖς ὤσι,
 καὶ τῆς κεφαλῆς, recenset. Deinde κόσμος hujus universi ma-
 chinam, eximia pulchritudine per sapientiam, potentiam ac bo-
 nitatem *Creatoris* efformatam & exornatam, systema cæli atque
 terræ complectentem designat, cum creaturis visibilibus ac in-
 visibilibus. Hoc sensu occurrit, *Act. XVII, 24.* ὁ Θεὸς ὁ ποιησάς
 τῶν

τὸν κόσμον, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ. Hic mundus uti habuit suum
 רִאשִׁית principium, *Gen. I.*, i. ita habiturus est finem, nam πα-
 γελεύσεται, transibit, *Matth. XXIV.*, 35. Synecdochice ὁ κόσμος in
 sacris saepe notat terram & res terrenas, vitamque terrestrem,
Jo. XVI., 28. *1 Tim. I.*, 15. Interdum κόσμος est pars terrae nobi-
 lior, Canaan, *Rom. IV.*, 13. *Meton. Subj.* est, ubi per κόσμον intelli-
 guntur homines, terram incolentes, iique vel omnes, nemine
 excepto, *Jo. III.*, 16. 17. *Jo. I.*, 29. Alibi cum addito dicitur ὁλος
 κόσμος, *1 Jo. II.*, 2. πᾶς ὁ κόσμος, *Rom. III.*, 19. vel multi, s. promi-
 scua multitudo, *Jo. XII.*, 19. Vel ἄπιστοι & impii, mundani, hu-
 jus immersi rebus seculi, *1 Jo. III.*, 13. *Jo. XVI.*, 8. Vel denique
 reprobi, olim a sanctis iudicandi, *1 Cor. VI.*, 2. Præterea veni-
 unt nomine τῶν κόσμων, vanitates mundi, quibus insipientes ab-
 utuntur ad avaritiam, voluptatem & superbiam, ad inordinatum
 amorem, a quibus omnibus abstinendum, *1 Jo. II.*, 15. 16. Pec-
 liaris est notio, ubi JACOBVS, *Cap. III.*, 6. lingua, inquit, ignis
 est, mundus iniquitatis, h. e. universitas, res plenissima iniquita-
 tis. Complexus omnis iniustitiæ, quæ inde promanans omnia
 membra corporis, imo totum hominem corrumpit & inquinat.
 Forte etiam ornatus iniquitatis, quia eandem defendit, palliat,
 ornatque verbis phaleratis. Nullibi autem Sacris in litteris,
 quod contra FLACIVM, CAMERARIVM, & Reformatæ
Ecclesie doctores sancte tenemus, tuemur, ac profitemur, κόσμος
 solos credentes & electos denotat, qua in re vindicanda acutio-
 res Philologi ad inductionem jam dudum provocarunt rectissi-
 me. Quæ enim FLACIVS, ex *Jo. VI.*, 33. & *XIV.*, 31. & CA-
 MERARIVS, ex *Jo. XVII.*, 21. disputant, omnino ad homi-
 nes sine discrimine consideratos pertinere certum est. Neque
 fatis prægnans sententiæ CALVINIANORVM faver ratio, quæ
 nos permoveat & convincat, ut explicationem illam approbe-
 mus. Multa potius sunt, quæ rejicere suadent. Igitur optime
 FESSELIVS, supra laudatus, fatetur, quod κόσμος vel γενεῶν,
 pro omnibus hominibus, vel εθνῶν, nunquam tamen pro Ele-
 ctis

conf. Matth. VI, 10. Fiat voluntas tua, Pater, *ὡς ἐν ἑλενοῖς sicut in cælo.* Matth. X, 16. Ecce, ego mitto vos, *ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων;* Estote igitur prudentes, *ὡς οἱ ὄφεις;* ad similitudinem serpentum, *καὶ ἀμέτατοι, ὡς αἱ περιστεραὶ* & simplices, innocentes *in*star columbarum Matth. V, 48. Estote perfecti, *ὡς πατὴρ ὁ πατὴρ* &c. ubi non perfectionis divinæ æqualitas, quæ nobis per naturam impossibilis, sed p. rei necessitas, p. perfectionis divinæ exemplaris, aliquis similitudo & imitatio intelligitur. Conf. Textus συναφεια, v. 44-47. Jo. V, 23. ut omnes honorent filium, *καθὼς, sicut* honorant patrem, en identitatem & æqualitatem cultus divini Christo cum Patre exhibendi. Insuper non est omittendum, quod perspicacissimi viri probe adnotarunt; scilicet, *ὡς* non tantum Comparisonis & similitudinis; verum etiam veritatis & confirmationis signum esse, id quod etiam *Rabbini* de partic. *ב* observarunt, quod sit non solum *ב* similitudinis, sed nonnunquam etiam *ב* positum *הווי* *הווי*, ad veritatem & confirmationem rei. Conf. DANTZ. *Interpres Ebreo-Chald.* §. 196. p. 330. Eodem sensu *ὡς* sumitur ad certitudinem ac veritatem significandam, v. c. Jo. I, 14. *ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτῆς, δόξαν ὡς μονογενῆς παρὰ πατρός:* Vidimus, spectavinus, gloriam ejus, gloriam Christi, *ut qui est vere* ac certissime unigenitus a patre. Quem locum classicum h. m. *Patres* antiquæ Ecclesiæ adversus hostes Deitatis Christi vindicarunt, ut videre est apud SVICER. l. c. T. II. p. 1600. & GLASS. *Phil.* p. 1008-1014. Nec minus explicat ac determinat elegantè naturam & conditionem rei, ita PETRVS. *ἀμωατὶ τῷ Χριστῷ, ὡς ἀμωῆ ἀμωμω, ut ipse* agni immaculati, 1 Petr. I, 19. In commate nostro partic. *ὡς* duo extrema componit, quæ diversæ sunt naturæ & speciei, aliqualem tamen inter se convenientiam habent, adeoque hic loci nonnisi perelegantis similitudinis notionem eidem tribuere possumus.

§. XXIV.

Nunc demum ostendamus, quæ nobis videantur de fundamento illo comparisonis, quæ PHILIPPENSES inter & luminaria in mundo intercedit. Et multa quidem in hanc rem adferri possunt, quæ vel convenientiam, vel discrepantiam indicent. Pauca autem tangere animus est. Originem utrinque & luminaria & filii Dei debent Patri luminum, Jac. I. Luminaria luce naturali, filii Dei luce spiritali & supernaturali exornati sunt per inhabitationem lucis magnæ, Christi. Luminaria splendorem soli, fideles Christo debent; Soli Justitiæ. Ecclesiam Philippensium in communi consideratam Systemati cœlesti nocturno tempore corruscanti comparat, sibi que sub hoc schemate representat. Sol in Luminaribus facile primum locum tenet, & familiam quasi ducit, movet, cui reliqua suo modo subordinantur ordine elegantissimo; Quod ibi Sol, hoc in regno cœlorum Christus, Princeps, Caput unicum Ecclesiæ, omnia movens, illuminans, gubernans, Doctores, Episcopi ac Diaconi, cum ceteris qui gregi præerant, majorum luminarium speciem præ se ferentes, illustriori luce micare videbantur, tanquam typi auditorum & subsectorum, quos cum minoribus cœli


40 PHILIPPENSES TANOV. LYMIN. IN MVNDO.


caeli luminariibus componere liceat. Systema caeli in perpetuo motu versatur, quiescere nefcit: Officina Philippensium Sanctorum nulla interposita mora traclabat negotia Sacra, τὸ ὄσα ἐνεργήσας ἐν τοῖς καὶ τῶ. Δέλεω, καὶ τὸ ἐνεργῆν &c. Phil. II, 13. In mediis tenebris non obscurantur aut corrumpuntur luminaria, sed lucidissime fulgent, ab omni caligine remota: Lux Evangelii clarissima illuminabat hunc coetum, ut in medio generationis pravae, distortae, & obtenebratae luceret, ut GOSEN olim in tenebris Aegypti. Luminaria caeli lucem non tantum accipiunt, sed etiam fideliter reddunt: eodem modo dona gratiae & Evangelii ad affis salutares adhibent, qui largiter acceperant Philippenses. Gloriam Deifernant ornamenta caeli, Ps. XIX, 1. Quod illa objective & occasionaliter, idem Philippenses nostrum & omnes Dei filii faciant subjective & formaliter, ut virtutes & gloriam ἐνεργήσας, praedicent, Eius, qui nos vocavit ex tenebris in admirabilem suam LVCEM, i Petr. II, 9. Luminaria in caelo nunc obscuriora, nunc clariora apparent; Id agant luminaria in terris, ut ex regno tenebrarum erepta, a tenebris spiritualibus peccatorum & vitiorum magis ac magis purgentur. Si corpora caeli lucida corpora obscura collustrant luce sua, & se invicem: quanto magis incumbit Philippensibus divino beneficio illuminatis, ut se mutuo in statu lucis confirmet, simulque in medio generationis tenebrarum emittant radios doctrine, fidei ac bonorum operum, ut homines excæcati splendore ipsorum illuminentur ad salutarem cognitionem & æternam salutem. Luminaria in tenebris optime conspiciuntur, non tamen sunt de natura tenebrarum: Philippenses in consorcio pravorum prae cæteris eminent puritate Evangelii & pietate fidei in mundo, neque tamen existentes de mundo. Quid Sol, quid luna, quid stellæ in mundo sine luce? Quid Philippenses in genere humano absque splendore spirituali? Utilitatis publicæ causa Deus astra in coelo, & propterea filios suos illuminatos in medio generationis pravae constituit, ut luceant, ut splendore se invicem vincant, ut aliis lucem suffundant, ut honorem Patris luminum amplificent, Matth. VI, 16. Sic rerum comparatione coelestium ad vitam coelestem, ad spem coelestem, ad πάλαιτεμοι coeleste, suos excitare & manu secum quasi ducere studet PAVLVVS. Beatos Philippenses huic dicto audientes! Beatos nos, si cognita hæc exemplo Philippensium fideliter faciamus, ita enim futurum est, ut *nunc Φερόμενοι ὡς Φωστρες ἐν τῷ κόσμῳ, tunc* olim generatione prava ac per-versa eis τὴν κάμινον τῆ πυρὸς connecta, ἐκλαμψομεν ὡς ὁ ἥλιος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῆ πατρὸς ἡμῶν ὃ ἔχων ἅτα ἀνθεῖν ἀνθεῖτω, Matth. XIII, 43. Τὸ δὲ πατρὶ τῶν Φῶτων δὲ καὶ ἔπανος, eis τὲς αἰῶνας τῶν αἰῶνας. Ἀμήν.

01 A 6567

Sb.

R V017 Hl. 67.





Q. D. B. V.

PHILIPPENSES
TANQVAM
LVMINARIA IN MVNDO
PHIL. II. 14. 15.

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SISTVNT
M. IO. AVGVSTIN. SEGNITZ
SCHENKENB. MISN.
ET
IO. GVIL. SCHMEISSERVVS
ALTENBVRG.
S. S. THEOL. CVLT. ET PHILOS.
BACCALAVR.

D. V. CALEND. SEPTEMBR. A. C. M DCC XXVIII.

LIPSIÆ
EX OFFICINA TITIANA.